



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola IV. Clementis Papae III. Ad Clervm Episcopatvs Sancti Andreae.  
Pro Ioanne episcopo sancti Andreae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

uerentia beati Petri & nostra, & persecutionis eius obtentu, quam certum est ipsum iam longo tempore pertulisse, carissimum in Christo Vvilielmum filium nostrum illustrem regem Scotorum moneas attentius, & inducas, & si necesse fuerit districione regali, qua ei præmines, & concessa tuæ regiæ celsitudini potestate compellas, vt totius indignationis suæ rancorem, (quam erga episcopum concepit quorumdam malitia susurronum) regiam dignitatem & salubria opera pietatis attendens, ei qualibet occasione remota condonet, & dioecesin sancti Andreæ, quam de communi fratrum consilio & assensu summus pontifex sibi perpetuo confirmauit, de cetero ipsum quiete permittat & absque calumnia possidere. Cum & ipse paratus existat regiæ maiestati, prout fuerit consentaneum rationi, existere in omnibus obediens & fidelis.  
Datum Pisæ xvii. Kalendas Februarii, indictione sexta.

## EPISTOLA IV.

## CLEMENTIS PAPÆ III.

AD CLERVM EPISCOPATVS SANCTI ANDREÆ.

Pro Ioanne episcopo sancti Andreæ.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei vniuerso clero episcopatus  
sancti Andree salutem & apostolicam  
benedictionem.*

LICET in rebus dubiis valeant aliqui suam astutiam seu malitiam ostentare, cum tamen scrupulus fuerit, & articulus dubietatis amotus, & manifestis indiciis apparuerunt vestigia veritatis, penitus sunt deuia relinquenda, & rectitudinis tramites inquirendi pariter & seruandise, quod absit, aliter agentibus, & in sua pertinacia consistentibus, post flagella præsentia poenalsque condignas perpetuæ mortis interius supplicio deleantur æterno. Volentes ergo paterna sollicitudine vestræ saluti prospicere, & vtilitatibus & quieti vestræ prouidere, vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, & in obedientiæ virtute iniungimus, quatenus infra quindecim dies post harum susceptionem venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum vestrum, in

pontificali officio canonice subrogatum, sicut patrem proprium & pastorem suscipiatis humiliter & deuote, ac eius de cetero salubribus monitis & mandatis, omni similitate remota, debitam reuerentiam & obedientiam impendere minime postponatis: scientes quod postquam Hugo, qui vir olim episcopus dicebatur, per Romanam ecclesiam a vestri episcopatus dignitate fuit amotus, vel post eius decepsum, iam dicto Ioanne episcopo vestro superstite, aliquem fortasse episcopum elegistis, electionem illam auctoritate apostolica vacuamus; si vero (quod Deus auertat) in eumdem episcopum Ioannem, inimico humani generis suadente, aliquam conspirationem facere præsumpsistis, tam vos quam totum episcopatum tamdiu volumus interdicti sententiæ subiacere, donec agnoscentes excessum ad mandatum ipsius Ioannis episcopi redeatis. Datum Pise decimo septimo Kalendrum Februarii, indictione sexta.

## EPISTOLA V.

## CLEMENTIS PAPÆ III.

AD OMNES EPISCOPOS.

Pro eodem negotio.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Iocelino Glascuensi, & Matthæo Aberdensi, & Richardo Morœensi, episcopis, & dilectis filiis Ermulfo de Melros, & Hungoni de Neubotle, & de sancta Cruce, & de Struellina, & de Scona, abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem.*

**A**d ea quæ respiciunt honestatem, & salutem pariunt animarum, quamuis absque monitis intendere debeat, & diligentem operam iuxta vestri officii debitum tribuere vos credamus, vestram tamen diligentiam ad maiorem in his sollicitudinem exhibendam literis apostolicis duximus exhortandam, ut eisdem operibus laude dignis tanto feruentius insistatis, quanto vobis salubrius erit in ipsis ad exhortationem apostolicam exactiorem diligentiam adhibere. Constat vtique quosdam ecclesiæ prælatos, cum his qui scandalizati fuerint debere pati iuxta normam apostolicam vñctionem, & cum infir-